

nem Demosthenis audiente populo accuratissimè perlegisset , illis utriusque vim stupentibus , sed plusculum , Demosthenis. O (inquit Aeschines) si illum perorantem audissetis. Ingens , ut ait Plinius , testis inimici , meo quidem iudicio , vel ob hoc verus mirator eloquentiæ , qui professionis suæ potius , quam alieni memor odij , quid laudandum erat , etiam in hoste prædicaret , præsertim cum dissimulare taceréque posset. Constat enim quosdam in scribendo graues , parum vehementes in loquendo : quosdam ex diuerso , qui omnne scribendi studium auctoritate frontis motuque corporis eleganti , claraque & pro qualitate rerum volubili pronuntiatione transcendant. Quo nihil in oratione potentius norunt , qui artis oratoria præcepta didicerunt : illorum gloriam minuit præsentia , horum auget , illos legi præstat , hos audiri. Horum igitur in numero posuit Demosthenem ille.

## PLATO.

Eloquentia Platonis antequam etiam eloqui posset emicuit , dum infantulum in cunabulis consopitum , innocuo contactu circumlabentes apes mellificauerunt in labellis eius , clarum melli-